(2.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER BARON, JUN.

CAROLINIENSIS AUSTRALIS,

SOCIETAT. REGIÆ PHYSIC. SOC. HON.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

1799.

JACOBO BURN,

ARMIGERO,

AVUNCULO SUO,

OB MULTA BENEFICIA,

MULTOS ANNOS,

IN SE COLLATA,

HASCE IN MEDICINA

STUDIORUM PRIMITIAS,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Cold tremors come, with mighty love of reſt,
Convulſive yawnings, laſſitude, and pains,
That ſting the burden'd brows, fatigue the loins,
And rack the joints, and ev'ry torpid limb.
Then parching heat ſucceeds, till copious ſweats
O'erflow, a ſhort relief from former ills;
Beneath repeated ſhocks the wretches pine;
The vigour ſinks, the habit melts away,
The cheerful, pure, and animated bloom
Dies from the face, with ſqualid atrophy
Devour'd, in ſallow melancholy clad.

ART OF HEALTH, page 16.

ERRATA.

Pag. 2. lin. 2. *pro* Europe *lege* Europæ

— 7. — 11. *pro* prædisponentis, *lege* prædisponentes.

— 8. — 12. *pro* prorus *lege* prorsus

— 17. — 5. *pro* confugit *lege* confugiet

— 17. — 9. *pro* insigne *lege* insignem.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

Auctore A. BARON, Jun.

COMPLURIUM malorum, quibus calidarum regionum incolæ opportuni ſunt, nullum febre intermittente frequentius, aut moleſtius, exiſtere, quodve aliis periculoſiſſimis affectionibus, fundamenta ſæpius ponit, inter medicos jam convenit. Febres, quidem ubique ferè terrarum, generis humani plures quam quivis alius morbus, rapere perhibentur: febrem igitur intermittentem, non ſolum ob magnam ejus in regionibus calidis fre-

quentiam, ſed etiam ob ſtragem, quam in mitiori Europe cœlo, mortalibus dat, harum pagellarum argumentum ſeligere; haud abs re fore, ratus ſum.

Hæc affectio, ſic a CULLENO definitur, " Fe-
" bres miaſmate paludum ortæ, paroxyſmis pluri-
" bus, apyrexia, ſaltem remiſſione evidente in-
" terpoſita, cum exacerbatione notabili, et ple-
" rumque cum horrore redeuntibus conſtantes,
" paroxyſmo quovis die unico tantum."

Intermittentium igitur nomine, non ſolum febris, de qua hîc agitur, ſed etiam remittens ſignificatur; quamvis aliter multis, hanc febri continuæ annumerantibus viſum eſt.

HISTORIA.

HISTORIA.

Febris intermittentis phœnomena ſatis plerumque accuratè a variis auctoribus deſcribuntur: Cullenus autem illuſtris, hîc palmam omnibus præripuit. Æger ſub mali acceſſum, inſignem languorem, debilitatis ſenſum, magnum, motus, corporiſque niſus cujuſvis, faſtidium, cum magna ſimul oſcitatione et pandiculatione, conqueritur. Facies, corporiſque extrema palleſcunt, lineamenta, partiumque corporis externarum moles minuuntur; cutis duriuſcula et ſcabra fit; hinc nomen cutis Anſerrina.

Signa jam memorata, ſtadium paroxyſmi frigidum plerumque antecedunt: ægerque ſimul algorem leviuſculum ſentit; oculi hebeſcunt et torpent; ungues livent; algor antea levis, ad horrorem jam, ei, qui frigidâ, corpori affuſâ, exoritur,

tur, conſimilem, uſque augetur. SWIETENIUS hujuſmodi exemplum narrat, quo tantus erat tremor, ut dentes antea firmi, a cavernis laxarentur. Æger horrori, ad ignem accedendo, occurrere jam conatur; paulo poſt ſtadium frigidum, miteſcit; facieique rubore, qui, ſibi non conſtat, excipitur, calor toto corpore jam fuſus, præter naturam intenditur; cutis colorem nativum amiſſum recuperat, et etiam rubeſcit; lineamenta ſimul turgida, et quaſi inflammata fiunt. Inſtante caloris ſtadio, dolor acutus inter tempora vibratus ſentitur. Eques PRINGLE, exempla, quibus dolor, uſque eo derepente ſæviit, ut delirium, quod hallucinatus, pro inſania habuit gravius, ſupervenerit ſibi occurriſſe, narrat. Poſtquam corporis rubor, calor, et tumor, aliquandiu perſtiterint, ſudor lenis, qui paulatim toto corpore diffunditur, é fronte prorumpit: cuncta ſimul morbi indicia inſigniter remittunt, et finito paroxyſmo penitus evaneſcunt.

Cæteræ

Cæteræ corporis functiones diverſas, per diverſa paroxyſmi ſtadia mutationes ſubeunt. Spiritus, urgente algore difficile trahitur, et tuſſi moleſta ſæpe interrumpitur ; accedente autem calore haud parum levatur ; finito impetu, facilis et naturalis evaſurus. Cerebri munera frigore premente, haud parum minuuntur. Æger cogitationi inhabilis, nil fere in mentem revocare poteſt, et delirium ſeu ſtupor ad coma, vel apoplexiam uſque, ingraveſcentia, ſuperveniunt.

Secretiones minuuntur ; oris ſaliva, et muco, admodum deficientibus. Urina admodum varia eſt ; in ſtadio frigido parca ; pallida atque limpida redditur, in calido verô præter naturam rubra fit ; paroxyſmi finem verſus, et aliquandiu etiam poſt deceſſum fœcem lateritiam copioſe deponit.

Alvus rarò in primo aut ſecundo ſtadio dejicitur, niſi in quibuſdam rarioribus exemplis, ubi diarrhœa ab initio adeſt ; et ubi dejectiones paroxyſmi

roxyſmi finem verſus eveniunt, liquidæ plerumque eſſe ſolent.

Tumores per primam paroxyſmi partem detumeſcentes penitus fere evaneſcunt, et ulcera ; ambo autem ad ſolitum ſtatum finem verſus redeunt. Capitis dolor, et arteriarum pulſus, æſtuante corpore, unicè excruciant ; ſimul verò, ac ſudor prorumpit, vel aliquandiu perſtiterit inſigniter remittunt.

MORBI TYPUS.

Priusquam de febris intermittentis cauſis agemus, paucis de ejuſdem typo, quippe cujus ſpecies ferè infinitas, nec ex eadem cauſa natas nonnulli opinantur, differatur oportet.

Quamvis febris typo haud parum variatur, cum plures tamen eodem loco corripiuntur, invaletudinem

nem ex eadem cauſa provenire, veriſimile videtur. Febris intermittentis et remittentis natura eſt fere eadem, quæque diverſæ perhibentur, eæ quidem, aliud nil ſunt, quam ejuſdem mali varietates, quæ cauſis fortuitis, a curſu generali detorquentur: Signa enim mali primaria omnibus his typis communia ſunt, omnes in ſe, invicem mutantur, et ſingulæ ſuumquæque typum denùo recuperant; eiſdem remediis ſanantur, et eandem denique cauſam occaſionalem agnoſcunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

In prædiſponentis, ſeu illas quæ mortales in morbum proclives reddunt, et has quæ proclivibus, eundem concitant a medicis dividi ſolent, de illis primô, de his deinceps agemus.

Cauſæ prædiſponentes, ſeu res quæ proclivitatem in febres dant, omnia quotquot corpus infirmant

mant esse videntur; debilitas, saltem febres praegressa hanc opinionem inprimis, verisimilem videtur reddere. Causis prædisponentibus, calor, et jure quidem annumeratur; eundem autem febri intermittenti concitandæ inidoneum esse experientia constat; nec frigus etiam proclivitatem in febrem intermittentem dare, concedi potest: eodem enim in Australibus Americæ civitatibus, Carolina nimirum et Georgia, hanc febrem reprimi et penitus sisti vulgo etiam bene notum est.

Quamvis hoc, opinioni illorum, qui frigus præcipuis febris intermittentis causis accensent, prorus adversatur; rem tamen ita se habere pro certo constat: frigore enim hyemali in locis etiam, maxime paludosis penitus sistuntur; eædemque in regionibus ad Septentriones vergentibus, vix aut ne vix quidem reperiundæ sunt.

Porro frigus febricitantibus variis formis; aëris nimirum frigidi, frigidæve corporis affusæ, præstantissimo

ſtantiſſimo remedio eſt, ut experimentis hoc conſilio captis nuper inventum eſt. Frigus igitur per ſe, mortales nec febri intermittenti, neque typho opportunos reddere videtur.

Diæta parum nutriens, et inſalubris, proclivitatem ad morbos inſigniter facit: in nullo autem majori quam in febre intermittente, vi pollet. Inſigne hujus rei argumento eſt plebecula, quæ præ cibi, cujus ſatis ad ſe, miſeramque familiam, alendos labore parare nequeunt, inopiâ, morbo opportuniſſima exiſtit.

Profeſſor Gregory, ex triginta juvenibus, quibuſcum, Lugduni Batavorum, medicinæ ſtudio operam dabat, quendam, qui nunquam adduci potuit, ut vinum, hujuſve ſpiritum, guſtaret, febre intermittente, ſumma cæterorum, qui eum a tanta in potu temperatia dehortari conabantur, oblectatione correptum fuiſſe narrat.

Affectuum animi deprimentium, metum ad proclivitatem in febrem intermittentem dandam, efficaciſſimum eſſe plerumque exiſtere perhibetur. " Metus et triſtitia," inquit LANCISIUS, " ubi " de febre epidemica agitur, pejor eſt."—LIND, " Hunc animi motum plurimum poſſe contendit ; " eundemque per ſe, morbum, actione paludum " anhelitus etiam non prægreſſâ, febrem intermit- " tentem concitare opinatur. Plures autem ſunt " res, quæ quominus illi aſſentiamur, vetant. Ho- " minem intermittenti pertinaci affectum ; atque " natandi, ignarum, profundo immergi ponamus. " Quid reſponderi poteſt, ſi hic æger ex media " morte reſervatus, ac perterritus, febris acceſſum " nunquam poſtea paſſus eſt ? Hoc nimirum, " quòd, metus, remedio, non cauſæ fuit. Ex- " emplum, quod nullam non medendi rationem, " ante hujuſmodi caſum, deluſit, vidiſſe mihi con- " tigit."

Venus nimia, defatigatio, vigiliæ, magnæ ſanguinis

guinis aliorumve humorum, exinanitiones, inedia et omnia quæ corpus infirmant, cauſis prædiſponentibus annumeranda ſunt: de his ſigillatim agere minime neceſſarium duco; eadem omnia magnæ cauſæ excitantis, paludum nimirum anhelitus, actioni favere obſervaſſe ſufficiat.

Nulla fere pathologiæ pars atriore quam miræ hujus exhalationis natura, et operandi modus, nocte premitur hincque febris intermittentis theoria manca et imperfecta ſit neceſſe eſt.

Lancisius animum ad hunc vaporem advertiſſe primus eſſe videtur. Magna eidem vis ab aliis auctoribus tributa eſt. Sylvius de le Boe, et Sydenhamus, eundem pro cauſa febris excitante habuerunt. Longa annorum ſeries locorum humilium et paluſtrium incolas, non ſolum in calidis, ſed etiam in Anglia, aliiſque terræ plagis, ubi temperies mitior eſt, febri intermittenti, præ cæteris patere, plus ſatis docuit.

Hujuſmodi locorum anhelitum, mali cauſam exiſtere, minime dubitari poteſt; complures enim migrando tantûm extra anhelitus ictum, nulla medicina adhibita quotidie ſanantur.

Recondita exhalationis hujuſce ſubtiliſſimæ vis, quæ oculorum aciem fugit, nondum inveſtigata eſt, nec unquam forſan inveſtigabitur.

Plures de eadem conjecturas fecerunt; chymici nonnulli vires ejus nocivas ex aëre hydro carbonico, quem habet pendere autumant: huic autem opinioni, aliarum inſtar, plura quæ dilui nequeunt, objici poſſunt. Experimentis enim ingenioſi Beddoes, febrem intermittentem, nulla aëris hydro carbonici et atmoſpherici miſtura, concitari poſſe conſtat. Hæc aërum miſtura vertiginem et nauſeam cito excitavit, et diutius inſpirata mortem procul dubio brevi intuliſſet.

Hæc exhalatio peſtifera, frugibus, et animalibus,

in

in locis udoſis putreſcentibus, et in princpia ſua reſolutis, exoritur; his autem nonnihil ſubeſt quod humani ingenii captum æternûm forſan effugiet.

DIAGNOSIS.

Febris intermittens ab aliis febribus, initio difficile ſecernitur. Difficultas animum ſequentibus intendendo haud parum minuitur. Si paroxyſmi definitis temporibus apparent; et apyrexiæ, ſaltem remiſſionis manifeſtæ, intervalla obſerventur; ſi morbus locis humilioribus, udoſis, aut paluſtribus, illa præſertim anni tempeſtate, qua graſſari ſolent intermittentes, exoritur, de mali natura haud diu ancipitis hærere poſſumus. Cognita denique morbi, qui illis anni tempeſtatibus et locis graſſantur, natura, certius adhuc, de hac re judicabimus. Illuſtris Home *, ubi de intermittentibus ab aliis febribus dignoſcendis agit, hæc verba habet:—

" Diag-

* Vide Home's Principia

" Diagnoſis in primi paroxyſmi initio haud parum
" difficilis eſt a febre continua. Tremor validus
" et frigus magum, ſine ullo interpoſito calore,
" tres vel quatuor horas durans, priorem; tremo-
" res parvi, frigus calorque viciſſim poſteriorem
" potius indicant. Notitia epidemicæ regnantis,
" lateritium urinæ ſedimentum, ſed præcipue, de-
" curſus morbi periodicus diagnoſin confirmat.
" Species diverſæ, duobus paroxyſmis elapſis, certè
" ſolummodo cognoſcantur."

PROGNOSIS.

Febris intermittens rarò in regionibus frigidis fatalis eſt, niſi viſcerum abdominalium ſcirrhum, hincque hydropem, induxerit: in calidis autem ob magnam in putredinem proclivitatem, ſummam debilitatem, delirium, ſtuporem, ſudores lentos ac gelidos, aliaque ſigna, graviora, quibus comitatur; exitium perſæpe adfert. Porro in frigidis terræ

plagis,

plagis, minus vere, quam autumno periculi habent. Si febris acceſſus ſolitô citius fit malum indicat; contrâ ſi idem ſolitô tardius redeat; bonum indicium perhibetur; quoties compluria ſigna ſimul urgent, aut delirium, convulſio, tremor, magna arteriarum micantium frequentia, aut devorandi difficultas, ſupervenerint, æger in lubrico verſatur. Putredinis itidem indicia, maculæ, petechiæ, partium exulceratarum in gangrænam proclivitas, excretionum, totiuſque corporis fætor, ſummum periculum portendunt. Porro ſi æger, intermiſſionis aut remiſſionis tempore, cibum non appetit; magna ſimul debilitate et vertigine afficitur; aut maculæ urticarum puncturas referentes ſuper cutem erumpunt, malus exitus; præſertim ſi urina pellicula cinerea obducatur; ægerve gravem hypochondriorum dolorem, tumoremque queritur, haud parum timendus eſt.

Anaſarca, aliaque hydropis ſigna, febri intermittenti interdum ſuperveniunt; hæc autem plerumque, illa ſanata, decedere ſolent.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Satis jam, ut opinor, de morbi hiſtoria, cauſis, diſcrimine, et exitu, diximus; longiuſque ultra neceſſarios hujuſmodi diſputationes limites excurrerem, ſi de ſingulis remediis hactenus ab auctoribus, in curatione uſurpatis, fuſius differerem. Auctoribus, qui de Materia Medica tractarunt, perluſtratis, res haud minùs triginta ejuſdem fere naturæ, febris intermittentis curatione commendatas invenio. Nullus quidem dubito, quin ſingula interdum profuerint. Qui fuſius vero earundem hiſtoriam et naturam cognoſcere voluerint, hos ad Cullenum, alioſque claros viros, qui de Materia Medica ſcripſerunt, relegandos cenſeo.

Febris intermittentis, curatio duplex eſt: prima remedia, urgente paroxyſmo, idonea, complectitur, altera

altera intermiſſionibus accommodata, quibus morbo occurrendo, radicituſque ſanando, maximè confiditur, comprehendit.

Quando medicus accerſitur, ſtatim ad vomitoria confugit: nullum quidem remedium, morbo inchoato, aut aliquatenus etiam provecto, præſentius inventum eſt. Optimi quique auctores jam inde ab HIPPOCRATE ad hunc diem, uſque, vomitionem, ob inſigne quâ febrem intermittentem debellandi vim, pollet, ſummis laudibus extulerunt; duobus ſummi momenti finibus reſpondet. Ventriculum et inteſtina, bile, atque crudo indigeſti cibi onere liberat; hincque cinchonæ uſum longe efficaciorem reddit.

Vomitoria frequentius jam uſurpata, ſunt Ipecoanhæ radix, pulveris, aut vini, formâ, data, et Antimonium tartariſatum: hoc autem plerumque, et jure quidem, me judice, antefertur; quamvis

enim in quibuſdam intermittentium exemplis, aliquanto periculoſius exiſtat, corpus tamen ſubito concutiendi vim, quod præcipuè molimur, longe potentiorem habet. Celeberrimus JACKSON, hoc medicamentum, propter violentiam, quâ quoſdam peculiari corporis temperatura præditos, afficit, minimè tutum eſſe opinatur; ejus autem uſum cinchonæ viribus favere concedit.

Plura quidem morbi emeticorum uſu repreſſi exempla habemus; hoc autem minime perpetuum eſt; paroxyſmus enim vomitione parum obſtante, ſæpe redit.

Chirurgus ingenioſus, Dominus KELLIE * remedium in febris intermittentis curatione hactenus ignotum, vomitioni quidem ipſi, virtute vix ſecundum, non ita pridem adhibuit: ſi inſtrumentum *Tournequet* dictum, quovis ſtadii frigidi tempore, (inquit ille) admovetur, caloris ſtadium brevi ſuperveniet;

* Vide ANNALS OF MEDICINE.

perveniet: porro, ſi idem brevi ante expectatum febris acceſſum uſurpetur; frigoris ſtadium non modo arcetur, ſed caloris etiam mitius, atque brevius fit. Hoc autem auxilium, aliorum præſtantiſſimorum inſtar, ſua ſecum adfert incommoda: diutius enim adhibitum inſignem ægro moleſtiam affert; nec raro, ut inventor ipſe fatetur, expectationem fallit. Idem Profeſſor DUNCAN in hac regione, ſed ni fallor, exitu parum proſpero, expertus eſt. At nihilo tamen minus æſtimabilis medicinæ acceſſio habeatur oportet.

In omnibus fere exemplis, quibus hoc remedium uſurpatum eſt, cinchonam intermiſſionis tempore datam fuiſſe obſervandum eſt.

Catharticorum uſui in hoc morbo multa, jure quidem, objiciuntur: at nonnulli tamen auctores eundem vomitioni utilitate non cedere opinati ſunt: his autem aſſentiri nequeo; alvi enim purgatio, hìc obeſſe potius, mihi videtur; hoc mag-

no SYDENHAMO * adeo perſuaſum fuit, ut alvi purgationem non niſi poſt menſem, a paroxyſmis penitus debellatis elapſum, nec tunc etiam, niſi opio poſt hanc dato, tutô, adhiberi poſſe planè aſſerat; hancque ibidem ſententiam notatu dignam adjicit:—" Vitandæ itaque ante omnia, evacuationes qualeſcunque, cum vel blandiſſima catharſis; quinimo enema é lacte ſaccharato in morbi diſcrimen certiſſime, forte in morbum ipſum denùo ægrum conjiciet."

Opium in febris intormittentis curatione multum et perſæpe uſurpatum eſt. Si autem abnormis ſanguinis diſtributio caput verſus fiat, aliaque diatheſeos phlogiſticæ indicia, ſimul urgeant, haud tutò, dum hæc ſanguinis detractione, aliiſque remediis eôdem pertinentibus, tollantur, dari poteſt.

Nullum morbi tempus, quo opium adminiſtrari debet,

* SYDENHAMI OPERA, p. 306, et ſequente.

debet, definitum esse videtur, LIND autem, calore tentationis æstuante, ubi sudorem movere, et somnum invitare sæpius solet, felicius exhiberi opinatur. Sic administrato, cuncta signa, inquit ille, horæ quadrante levata observamus.

Contra, nonnulli hoc remedium periculo non carere autumant; et BURSERIUS * idem exitium sæpe afferre putat. Professor GREGORY copiam cinchonæ opio dato, solitâ dimidio minorem, curationi sufficere expertus asserit.

Astringentia et tonica varia ex plantis et fossilibus parata, febris intermittentis sanatione commendantur. Astringentium fossilium præcipua sunt zincum vitriolatum, zincum ustum, cuprum vitriolatum, alumen, et etiam arsenicum album.

Periculum autem, quod medicamentis tam acribus præcipuè si ab ignaris darentur, exoriri potuit,

* INSTITUT. MED. Vol. I. p. 194.

tuit, a frequentiore eorundem uſu, eòque magis quod aliorum innocuorum, nec minus efficacium, copia ſuppetit, nos deterret. Ante igitur quàm medicamina tam acria uſurpentur, res magis innocuas ex frugibus paratâs experiri potius erit. Harum autem princeps eſt cinchonæ officinalis cortex, cujus duæ a ſcriptoribus ſpecies, colorata nimirum, quæ corticem rubram, flavam, et cineream comprehendit ; et illa quæ colore albido tingitur : alia inſuper exiſtit ſpecies, quæ ab inventore, Doctore WRIGHT, Cinchona Jamaicenſis appellatur.

Cortex flava, ut multis experimentis conſtat, cæteris longe efficacior eſt : eandem multum uſurpare ſolet Profeſſor RUTHERFORD, et expertus omnibus aliis anteponit.

Cinchona officinalis ad febres intermittentes ſanandas, in quibus multum proficere, et inſigniter valere, inventa eſt, primo in medicinam inducta fuit.

Quod

Quod tempus autem, quo efficacior detur aliaſque morbi res attinet, medici etiamnum haud parum diſſident: alii enim exinanitionem prægreſſam opus eſſe opinantur: alii verô hanc niſi quibus ventriculus bile, aliave colluvie gravatur, tanquam inutilem damnant. D. Skeete, eô quòd quædam morbi exempla, ubi nulla omnino evacuantia uſurpata fuerunt, feliciter ſanata vidit eandem mînime neceſſariam judicat: quantum verô ex hoc medendi uſu, ſi invaleſceret, periculum proveniret, ignorare certè non potuit. Perpauci enim invenientur febricitantes, quibus cinchona, præſertim ubi ventriculus felle, aut cibo crudo oneratur, nauſeam non movet. Cum tot igitur ægrotantium, quibus indicia hæc moleſta parit, quotidiana occaſio eſt; vomitio præmittenda videtur; præſertim cùm quibus cinchona nauſeam fecerit, his minime perſuaderi poteſt, ut eandem reſumant: quo fit, ut remedii præſtantiſſimi ope deſtituamur.

Promptiſſima

Promptiſſima et efficaciſſima cinchonæ corticem præſcribendi formula eſt pulvis; infuſum itidem corticis frigidum et decoctum, inſigni vi pollent.

Pulveris, quoties hæc formula antefertur, ſcrupuli duo, vel drachma, ſingulis intermiſſionis horis, vel ſæpius, ſi ventriculus fert, dari debent.

Hic cinchonam adminiſtrandi modus adeo tutus eſt, ut eundem ubique fere invaleſcere credam.

Auctor *ingenioſus* cinchonam, urgente paroxyſmo, dari poſſe ſubmonuit: nauſea autem et vomitus, quæ ut ſupra diximus, ſtadium frigidum perſæpe comitantur, haud parum inde augeantur neceſſe eſt: quamviſque cinchona hoc tentationis tempore data, interdum votis reſpondit, uſus tamen hicce, ob rationes jam allatas, nunquam invaleſcere poteſt.

Cum

Cum cinchonæ uſus, ſigna quædam moleſta ſubinde concitat; alia medicamenta illis occurrendis idonea conjungantur oportet. Si vomitum moveat; aliquandiu omittatur; et vice ejus citris potaſſæ efferveſcens, intermiſſionis tempore commodè dari poteſt; vel quindecim chamœmeli florum pulveris grana, et myrrhæ tantundem, addita, votis non raro reſpondent.

Si alvus cinchona cietur; opii pauxillum eidem adjungatur, vel per ſe, idoneis intervallis, detur, ſi verô comprimitur, paucula rei, aut jalapæ radicis, grana ſingulis doſibus addantur.

Si malum his remediis non cedat, tum demum ad oxydum arſenici album; quod a nonnullis, et præſertim Doctore Fowler, de meliore nota commendatur.

Denique cauſarum remotarum, et præcipue excitantis evitatio, idonea corporis ſub jove ſicco ac frigido exercitatio, cibi nutrientes et ſolutu faciles, et vino generoſo inter prandendum, caleſcere haud parum juvabunt.

FINIS.

BRITISH MUSEUM LIBRARY
30
74
JUN